QUÆDAM
DE SYSTEMATE BROWNIANO;

SPECIMEN INAUGURALE,

QUOD

IN AUGUSTISSIMA MEDICORUM MONSPELIENSIUM ACADEMIA,

Publicis disputationibus subjiciebat

AUCTOR

JACOBUS-JULIANUS RICHARDUS DE LAPRADE, *Segusianus, almæ scholæ Med. Monsp. studiosorum Syndicus, gymnasii clinici Præfectus, pristinæ scholæ regio-militaris Turnonensis olim alumnus, ejusdem urbis collegii nuper Professor, scholæ medico-chirurgicæ Lugdunensis quondam discipulus, Mediolani Segusianorum urbis nosocomii civilis ac militaris, necnon pauperum hospitii pharmaciæ antiquus Rector.*

PRO DOCTORALIBUS INSIGNIIS CONSEQUENDIS.

Semper ego auditor tantùm? nunquamne reponam?
JUVENAL. Satyr. I. v. I.

MONSPELII,
Ex typis JOANNIS MARTEL natu majoris, ad aulam Præfecturæ,
N.° 62. ANNO XII.

23me

MARINI. RICHARDI. DE. LAPRADE.

DUM. VIVERET.

EQUITIS. REGIS. CONSILIARII. AC. MEDICI.

IN. ALMA. MEDICORUM. MONSPELIENSIUM. UNIVERSITATE.
DOCTORIS.

AQUARUM. MINERALIUM. FORENSIUM. PRÆFECTI.

SOCIETATIS. REGI: MED: PARIS: SOC: REGNICOLÆ.

PLURIMARUMQUE. ACADEMIARUM. SODALIS.

OPTIMI. PATRUM.

UXORI. NATIS. AMICIS. EGENIS. AC. ARTI. SUÆ.

ADHUC. ÆTATE. FLORENTIS. ABLATI.

MANIBUS. IN. ÆTERNUM. VENERANDIS.

HANC. IN. PIETATIS. MONUMENTUM. DISSERTATIUNCULAM.

LUGENS. VOVET. FILIUS.

MATRIQUE. COLENDISSIMÆ.

FRANCISCÆ. ELISABETHÆ. D'AIRAUD.

FRATRI. ET. SORORIBUS. AMATISSIMIS.

GRATI. ANIMI. BENEVOLENTIÆ. AMORISQUE. PIGNUS.

OFFERT.

DIE. XX. MENSIS. JULII. AN: MDCCCIV.

N. B. *Te monitum habere volo, L. B. quod in expositione systematis* Brownii, *ejus propriis vocabulis et phrasibus, quantum licuit, usitatus sum; ubi verò propositionem quamdam ex toto transcripserim, hâc notâ « insigniri scito. Quam autem* Browni Medicinæ Elementorum *editionem consuluerim, quosque libros circà hanc doctrinam pervolverim ex sequenti catalogo comperies.*

1. *Joannis Brunonis, M. D. etc. Elementa Medicinæ, cum præfatione P. Moscati. Mediolan.* 1792 *in*-8°.

2. *Elementi di Medicina del dott. G. Brown, etc. Tradott. dall'inglese da Solinghi. Napoli*, 1796, 3 *v. in*-8°.

3. *Spiegazione della dottrina medica di G. Brown, del sig. G. Frank. Firenze*, 1802. 2. *v. in*-8°.

4. *Riflessioni sul sistema di Brown, da V. L. Brera, Venezia*, 1801. *in*-8.°

5. *Elementi di Medicina pratica, etc. del sig. Weikard, tradot. da V. L. Brera. Firenze*, 1800. *et seg. in*-12.

etc.

QUÆDAM

DE SYSTEMATE BROWNIANO.

I.

Dum mecum ipse revolverem quot et quibus systematibus artis medicæ præcepta coordinare dilucidareque medici tentârunt, animadverti plures practicos eximios theorias quamquam longè diversas profitentes, pari cum successu medicinam exercuisse. Huic cogitationi defixus hærens, systemata ne minimum quidem influxum, saltem quoad suî artis probè gnaros, in praxim medicam obtinere ratus sum. Ast ubi primùm mihi occurrerit doctrina Browniana, ejusque sectatores ante ægrorum lectum conspexerim, medicos vel aliundè sapientiores, cujusque opinionis ἐνθουσιασμῷ quodam raptos, multum mali ægrotantibus afferre intellexi; perlustravi demùm scriptoris scotigenæ doctrinam pensiculatiùsque trutinavi. Quid circà tanti momenti quæstionem excogitârim vobis hodiè summatim offero, Professores admodum venerandi; ne hìc quæratis refutationem perfectam, neque sermonis leporem: curæ et sollicitudines, præter temporis exiguitatem, ab hoc consilio animum longè averterunt. Indulgentiâ verò vestrâ fretus, à fundamentorum systematis browniani expositione initium capiam.

II. *A.* » In omnibus vitæ statibus, homo et reliqui animantes à mortuis se, vel aliâ quâvis inanimi materiâ, hâc solâ proprietate differunt : quòd externis rebus et quibusdam suî propriis actionibus sic adfici possunt, ut ipsis vivis, propriæ suæ actiones efficiantur. Quod dictum quicquid in rebus vitale est comprehendit, eòque ad plantas pertinet. »

B. Hæc autem proprietas *incitabilitas* dicenda, materiam nervosam et solidum muscularem in corpore animato sedem habet, non ex partibus constans, non in aliâ partis sede alia est, nec à se ipsâ differt, sed tantùm pro variâ organorum structurâ diversitatem præbet, una toto corpore et indivisa proprietas. Sub hoc igitur vocabulo et nervorum sensilitas, et musculorum irritabilitas confundendæ veniunt.

C. Incitabilitas verò, sentiendi vel incitamentum suscipiendi facultas, per se ipsam, vitam non constituit, nisi intervenerint potestates externæ aut in illam ipsam agentes, aut in organa quatenùs eam possident.

D. Potestates, *incitantes* nominandæ, in materiam organicam *incitabilitate* præditam, quantùm vim *stimulatricem* in se habent, *incitationem* producunt : undè *vita* omnis defluit.

E. Vita igitur incitabilitate et stimulo conflatur : » illius rei et actionis sive dempto opere, sive demptâ proprietate, mors certa : nihil aliud vitæ necessarium ». Nec corpus incitabile absque stimulo, neque incitabilitate orbatum, quamquam organicum, stimulo vel vehementiori vivum fieri potest.

F. Incitabilitatis naturam ipsam anquirere et maximè arduum et prorsùs inutile foret. » Sed quicquid est : vel ejus

aliquantum, vel ejus vis aliqua, unicuique vivere incipienti tribuitur. Tributi sive vis, sive copia, in aliis animantibus, et iisdem aliàs, alia est »: pro variâ enim ætate et diversâ valetudine differt; in pueris major, in viris mediocris, in senibus imminuitur; in secundâ sufficiens, in adversâ verò valetudine aut deficiens, aut abundans, pro majori minorive incitantium intensitate.

III. *G.* Ad vitam facientes res externæ, potestates incitantes jam nuncupatæ, omnia sunt quæ in corpus incitabile agunt aut agere valent; et hæc præcipua: » calor, victus, sanguis, hinc segregati humores et aër. »

H. » Corporis ipsius actiones idem præstantes, contractio muscularis, sensûs et cerebri in cogitando et affectus ciendo vis, sunt, hæ dum sicut reliquæ corpus adficiunt, ita tàm à cæteris quàm à se ipsis exoriuntur. »

I. » Potestatum incitantium effectus cùm unus idemque sit, scilicet stimulare, omnium igitur opus unum et idem quoque esse, nec aliarum aliam actionem existere concedendum ». Omnia quidem incitantia eodem modo, id est stimulo agunt, nec inter se, nisi intensitate discrepant.

K. Earumdem potestatum nulla quamlibet partem magis quàm cæteras afficit, nisi cui rectà admovetur; ast effectus in universam brevi diffunditur incitabilitatem unam et indivisam: nec incitatio in parte quâdam major esse potest, dum in toto corpore minor; nec in parte quâvis minor, ubi in reliquo systemate abundantior evadit.

L. » Quoniam solæ potestates communes omnia vitæ creant et solum earum opus stimulans est: in stimulo igitur

omnia quoque vitæ, omnis sive secunda, sive adversa valetudo, nec in ullâ aliâ re consistunt. »

M. Incitabilitas et stimuli actio se invicem habent in ratione inversâ, ità ut : » quò potestates imbecilliùs egerint, seu stimulus minor fuerit, eò magis incitabilitas abundet; quò validiùs stimulus incubuerit, eò illa exhaustior subsit; illìc admotus stimulus incitationis plus, hìc minus usque suscitet. » Quæ cum ità sint, incitationis quantitas incitabilitatis et stimuli summâ exprimetur.

IV. *N.* Sanitas in mediocri incitatione, scilicet incitabilitatis et stimuli æquâ proportione et convenientiâ consistit.

O. Ast ubi 1.° incitatio nimii stimuli actione justo violentior evaserit; 2.° incitabilitas vehementiori aut longiùs protractâ incitantium vi defecerit, exhausta, vel defatigata fuerit; 3.° debiliore aut breviùs continuatâ abundaverit, accumulata vel aucta fuerit : tunc morbus adesse dicitur.

P. Qui tres status *sthenia*, immodicâ incitatione notabilis; *asthenia* seu *debilitas, directa* vel *indirecta*, deficiente incitatione æquè spectabiles, nuncupantur: undè omnes morbi pendent; morbi autem in locales dividuntur et communes; de his solum verba fient.

Q. » Nati immodicâ incitatione morbi communes *phlogistici* seu *sthenici*; quos deficiens creat *anti-phlogistici* seu *asthenici* nominantur. Hinc duæ morborum formæ. In quam utramque opportunitas semper præcedit. »

R. » Opportunitas autem seu *prædispositio* ad morbos, est corporis status à secundâ valetudine ità recedens, ad

adversam ita vicinus, ut illius adhuc, quam insidiosè simulat, contineri finibus videatur. »

S. » Potestates incitantes quæ ad morbos phlogisticos opportunitatem aut ipsos faciunt, *phlogisticæ* vel propriè stimulatrices appellandæ; ad asthenicos viam sternentes, vel ipsos facientes, *asthenicæ*, *anti-phlogisticæ*, seu *debilitatrices* nuncupandæ, corporis status illos aut in eos opportunitatem dans, *diathesis phlogistica* dicenda; hos cum propriâ iis opportunitate præstans, *anti-phlogistica* seu *asthenica* nominanda. Utraque diathesis communis opportunitati cum morbo status est, magnitudine tantùm varians; potestates utrumque ad morbi modum attollentes *noxarum excitantium* vocabulo distingue. »

V. *T.* Morbi igitur omnes qui in genus humanum sæviunt ad duo capita, videlicet stheniam et astheniam (P), referri debent; asthenia autem directa aut indirecta sub duplici respectu spectanda se offert, quòd hæc ab exhaustâ, illa quidem ab accumulatâ incitabilitate repetenda sit. In primâ classe morbi inflammatorii, et qui à nimiâ virium vitalium intensitate pendent, in secundâ verò morbi spasmodici et in debilitate positi connumerandi sunt.

U. Atque etiam noxæ debilitatem directam producentes, indirectam creantibus conjungi possunt: indè debilitas *mixta* extat.

V. » Ad noxas communes referendæ sunt contagiones quia sive stimulando, sive debilitando agunt, idem earum quod communium noxarum opus, scilicet eadem causa subest; quam causam idem quoque effectus non consequi non po-

test ». Morbi igitur contagiosi vel inter phlogisticos, vel inter anti-phlogisticos ordinandi sunt, nec indolem peculiarem præ se ferunt.

VI. *x.* Quam rationem incitabilitas et stimuli tum in secundâ, tum in adversâ valetudine sequantur, rectè intelliges modò inspicias *scalam* quamdam *incitabilitatis* et *stimulorum* nuper à Brownianis (1) extructam. Supponatur incitabilitas et vis stimulatrix utraque = 40. 40 autem + 40 = 80; incitationis et sanitatis expressio. Detur nunc vis stimulatrix = 50; tùm admissâ ratione inversâ (M), incitabilitas erit = 30, et habebimus ad morbos sthenicos opportunitatem. Si verò progressa fuerit vis stimulatrix usque ad sexagesimum gradum, mediocris aderit sthenia, et incitabilitas ad vigesimum recedet. A sexagesimo ad septuagesimum violenta sthenia, à septuagesimo ad octagesimum debilitas indirecta, et mors incitabilitate ad O reductâ. Et è contrario sit vis stimulatrix = 30 et consequenter incitabilitas = 50; ad morbos asthenicos opportunitatem comprehendemus. Minuatur iterùm stimulus usque ad vicesimum gradum asthenia mediocris erit notanda. Pergat ad decimum imminutio, violenta asthenia seu debilitas directa evadet; à decimo verò ad O, progredietur debilitas usque ad mortem absolutam.

Y. » Diathesi phlogisticæ (Q) medendæ consilium imminuere, asthenicæ augere incitationem est, eò usque dum id hujus quod iis extremis medium, bonæ valetudini convenit, reponatur. Nullum aliud medendi consilium communes morbi recipiunt. »

---

(1) Vide Riflessioni sul sistema di Brown, di Luigi Brera.

Z. » In curatione autem indirectæ debilitatis (O-P-T), quæcumque ejus magnitudo sit, quocumque nimii stimuli genere orta sit, stimuli qui pro auxilio potissimùm utendus est, non multò minus eo qui morbum fecerit, adhibendum, dein minus minusque donec morbus solvatur, addendum.

AA. » Ad rectam debilitatem (O-P-T) medendam, à minimo stimulo primùm incipiendum, dein ad plus usque donec vitiosa incitabilitatis abundantia paulatìm deteratur et tandem salus reducatur ascendendum. »

BB. Ad debilitatem mixtam (U) profligandam, mixta curandi methodus adhibenda est.

CC. Quo modo, quove ordine addenda vel subtrahenda sint in utrâque diathesi incitantia, ex scalâ jam allatâ (X) facilè percipies.

VII. DD. » Auxilia autem diatheseos phlogisticæ sunt potestates debiliore, quam qui secundæ valetudini conveniat, stimulo incitantes, *debilitantia* compendii causâ in curatione dicendæ ». Quibus *evacuantia* præsertim et *frigus* ascribenda sunt.

EE. » Diatheseos asthenicæ auxilia sunt potestates validiùs quam ut optimæ valetudini congruant incitantes, *stimulantia* quò commodiùs ab alteris distinguantur in medendi usu nominandæ ». Inter quas primum locum *opium* vindicat.

FF. Et hæc omnia sive *incitantia* aut *stimulantia*, sive *debilitantia* nuncupentur, non inter se discrepant nisi quòd hæc minori, illa verò majori vi stimulatrice gaudeant: debilitantia quidem non quòd verè debilitent, sed quia nimis stimulant, dicuntur.

GG. Omnes igitur morbi, tum phlogistici, tum antiphlogistici ex diversâ tantum incitationis intensitate differentiam præbent; quin alium sanum, alium morbosum statum esse, hoc porrò refellitur quod potestatum utrumque facientium aut depellentium idem opus est. Quòd si in morbis omnibus unus tantùm differentiæ modus conspicuus sit, consequens est ut omnis nosologica methodus tanquam vana et inutilis habeatur.

VIII. *HH.* Morbi minuuntur, aut ultrò recedunt, ubi noxæ minori cum intensitate agunt, vel penitùs cessant.

II. Morbus sthenicus, seu debilitantium abusu, seu quòd ipse vehementior fuerit, asthenicus fieri potest.

KK. Natura non agit absque stimulo, nec valet in curatione morborum, nisi casu vel arte potestates externæ congruenter admotæ fuerint.

LL. In curatione morborum ad causarum generalium cognitionem recurrendum est: symptomatum enim exploratio ferè semper fallit, et nunquam sufficit ut certa diagnosis consequatur.

IX. Ex generalibus suprà positis tanquam Brownianæ doctrinæ fundamentis, omnia quæ ad vitam pertinent, tum in secundâ, tum in adversâ valetudine, quasi corollaria facilè deducuntur. Quòd si autem fundamenta labentur ruet et ipsum systema. Sed ad refutationem properemus.

X. Quantum et quibus proprietatibus omne animal ab aliâ quâlibet materie inorganicâ differat, nemo nescit qui animum ad naturæ indagationem paulò attentiùs appulerit.

Elementorum numero et combinatione, fluidorum et solidorum coexistentiâ, variarum partium variâ structurâ, organorum peculiarium compositione et formâ, sensu, motu, intellectu, ut millena alia mittam, hæc differentia innotescit. Ast ubi primùm has singulas proprietates, quantum inter se vinculo necessario continentur, sub unico quodam respectu intueri, vel sub eodem ambitu amplecti volumus, tunc mens nostra complexam *vitæ* idæam concipit, et abstractè vitam tanquam unicam proprietatem intelligit, undè tota animalium et materiei inorganicæ diversitas pendet, aut pendere videtur.

XI. Quod si homo et reliqui animantes à mortuis se, vel aliâ quâvis inanimi materiâ, unicâ proprietate (A) nempè vitâ differunt, et aliundè Brownius hanc discrepantiam incitabilitati (B) tantùm assignet, necesse est ut ex ipsâ Brownii mente vita et incitabilitas perindè ac una eademque proprietas habeantur. Verùm incitabilitas *per se ipsam, vitam non constituit, nisi intervenerint potestates externæ* (C.); indè patet manifesta contradictio.

XII. Utrum incitabilitas seu sensilitas in suî essentiâ semper eadem sit (B.), ejusque variationes à diversâ organorum structurâ unicè pendeant nobis absit determinare. Multa occurrunt quæ hanc opinionem refellere et viventi corpori principium quoddam sensitivum meritò ascribere videntur, quibus illustrissimi Fouquet (1) assensio nobis est

---

(1) Vide artic. *sensibilité* Encycloped.

tanti ponderis ut ne metuamus quidem secundam Brownii propositionem sin minùs quasi falsam, saltem tanquam invalidis argumentis innixam rejicere, et eò magis quòd in eâdem sensilitatem et irritabilitatem confundit quæ diversas leges diversamque rationem sequuntur.

XIII. Effectus diversi generis ad easdem causas, non secùs ac ejusdem ad diversas referre, contrà veram philosophandi normam dicendum est. Quî poterimus admittere omnia vitæ incitabilitate et stimulo conflari (E-L.), quum sint multæ corporis functiones ex hâc hypothesi inexplicabiles? Nonne functiones assimilatrices, nonne quæ ad resistentiam vitalem pertinent ab unicâ incitatione repeti queunt?

XIV. Mirabilem corporis humani partium convenientiam et consensum jamdudùm notaverat Hippocrates, omnis genuinæ doctrinæ medicæ pater, naturæque indagatorum longè exemplar : universæ enim et singulæ systematis animalis partes consentiunt, et ad cunctas functiones perficiendas *confluxus unus, conspiratio una.* Nemini quidem non observare contigit quo modo, quantâque cum harmoniâ ipsis secum organa consonent, ita ut in statu sano virium vitalium et omnium quæ ad vitæ actus requiruntur; in morboso autem et affectûs et ægritudinis et functionum perturbationis subitò, vel brevi saltem tempore participia fiant. Postquàm igitur, his segregatim functionibus merè analytico intuitu consideratis, earumque singulâ ad vitalem vim peculiarem, tanquàm ipsius causam relatâ; per veram synthesim progredientes, illas illarumque vires operatrices conspexerimus, comparaverimus, abstracto modo conjunxerimus, ad

vim quamdam summam virium, ad causam generalem summam causarum mentem nostram attollemus; principii cujusdam ex quo vita defluat idæam percipiemus; tandemque principium vitale, vitalium functionum, vitæ ipsius fons et origo conceptui occurret; unum indivisumque, totum corpus regens, omnia quæ in æconomiam animalem incurrunt sentiens, pro grato vel ingrato affectu accipiens aut repellens; aliquibus reapsè existens, multis notio complexa et abstracta, plerisque forma loquendi tantùm commodior esse videtur.

X V. Quæ dicta etsi Brownianæ incitabilitati omninò, quod pro parte duntaxàt levissimâ admitti potest, congruerent, non indè constaret quidquid ex incitabilitatis unitate et indivisibilitate Brownius deducere conatur (K.). Quamquam enim incitabilitatem unam esse atque indivisam, nec ex partibus constare, nec in variis organis quoad essentiam variare (B.), in concessum veniret, non indè sequeretur quòd stimulus qualiscumque cuilibet parti admotus, in universam incitabilitatem æquabiliter ageret, nec partem ullam, nisi cui immediatè applicetur, vehementiori incitamento afficeret. Constat autem observatione et experientiâ multas substantias potiùs in hanc quàm in illam agere partem ubicumque admotæ sint, vel ingestæ vel extùs appositæ; et pro unico exemplo sint cantharides, quæ quomodo adhibitæ, quove loco applicatæ sint, vesicam et organa circumjacentia irritamento semper affectant, quamvis ventriculus ipse, immediatè et primodùm attactus, nihil sentierit, nihil expertus fuerit. Eòdem alia gravis patet error, incitationem nempè nec mi-

nui nec augeri posse in quâlibet parte, quin et toto systemate minuatur vel augeatur, et versâ ratione; ast verò multi morbi medico obviam eunt qui nec auctam, nec imminutam incitationem, verùm in variis organis, vel organorum systematibus inæqualem virium distributionem pro causâ agnoscunt. Quod latiùs enucleabitur ubi de morbis sermo erit.

XVI. Quemadmodum afficiendæ facultati unitatem et indivisibilitatem, sic et afficientibus potestatibus unicum opus, unicumque agendi modum (J.) BROWNIUS tribuit. Etenim ex illo potestates omnes, sive stimulare, sive debilitare dicantur, plus minusve incitant (FF.) in eoque tantùm omnis discrepantia consistit. Id si verum foret, uniuscujusque stimulantis usus, etiam in aliis morbis et pro diversis organis indiscriminatìm adhiberetur; ast longè fit aliter: quippè consuetudinis imperium, differentia morbi et diversa organorum sensilitas variationem, differentiam, diversitatem stimulantium expostulant; idem præscribunt Browniani, mutationemque medicamentorum perindè ac necessariam denotant, dum agitur de curatione morborum, eòque sibi ipsis evidenter contradicunt.

Dr. MOSCATI vidit mulierem quamdam opii ℥iij quotidiè sumentem, ex eò, inquit J. FRANK (1) Brownii indefessus sectator, quòd incitantis abusu, incitabilitas valdè exhausta fuerat. Verùm hæc fæmina, aliorum incitantium præsertim et moralium actione non minùs quàm anteà sensilis extitit:

(1) Vide Spiegazione della dottrina medica di Brown, del dott. Giuseppe Frank. T. 2, p. 48.

undè liquidò patet quod stimuli non tantùm intensitate, sed etiam agendi modo differant, et aliundè pro aliis individuis, temporibus, morbis, organis, stimulos variare certum est.

XVII. Quam rationem incitabilitas et incitatio, tum in statu sano, tum in morborum formatione sequantur, ex præmissis Brownianæ doctrinæ fundamentis (M-N-O-X) cuilibet conspicuum est. Nimio stimulo *sthenia*, incitabilitatis exhausto *asthenia indirecta*; ejusdem accumulatione *directa*; indirectæ et directæ junctione *mixta* producitur. Nimio stimulo vis vitalis augeatur nemo inficias iverit; verùm quo pacto vitæ præcipua facultas, vita ipsa (XI.) suî accumulatione debilitatem constituat, id haud facilè quivis intelliget. Sed quid moror magnum aggredi argumentum? Ex ipsis Brownii opinionibus, quòd morbus sit impossibilis, quòdque numquam detur inter sanitatem perfectam et mortem intervallum, necessariò consequitur. Admissâ enim incitabilitatis et vis stimulatricis ratione inversâ, ubi incitabilitas accumulatior, minore stimulo, quàm ubi exhaustior evaserit, majore eamdem incitationem non produci non posse evidens est, donec usque vel incitabilitas, vel vis stimulatrix ad nihilum reducatur. Supponantur ergò ut suprà (X.) incitabilitas et vis stimulatrix, utraque = 40. 40 autem + 40 = 80 : incitationis et sanitatis expressio. Detur nunc vis stimulatrix = 50; tum incitabilitas erit = 30. 30 quidem + 50 = 80. incitationis quantitas eadem. Si verò progressa fuerit vis stimulatrix ad 60; incitabilitas ad 20 recedet. 60 + 20 = 80. Et sic deinceps donec ad O perveniat incitabilitas. Et è contrario sit vis stimulatrix = 30 et consequenter incitabilitas = 50; idem productum habebimus nempè 80. Incitationis igitur

quantitas semper eadem erit sicut et valetudo ipsa.

XVIII. Notum est physicis, et hoc affectibus moralibus quoque congruit, eò vividiùs impressiones sentiri, quò major ad eas excipiendas aptitudo. Verùm ubi abundantior fuerit incitabilitas, valentior erit incitamentum suscipiendi facultas, levior igitur stimuli copia in hoc casu eumdem effectum, ac in contrario largior produxisset. Præctereà ex eâdem sententiâ, mors nunquam debilitate directâ contingeret, quia semper aliquid stimuli superest, siquidem et sanguis, et humores, et aër, et caloricum, et lumen etc. omninò tolli nequeant. Ex dictis videre est quantum absurdi et contradictionis implicet Browniana assertio. Nec tempus terere libet, ut mixtam debilitatem refellam, incitabilitate auctâ simul et imminutâ constantem; quo nihil est insulsius.

XIX. Quibus prædictis nobiscum si assentiretur, systema Brownianum ex ipsis fundamentis rueret, nec amplior refutatio requireretur. Ast verò ne reprehensioni vel levissimæ locum demus, propositionibus suprà notatis tanquam oppositionis expertibus habitis, ad ulteriora progrediemur et eò libentiùs quòd in morborum divisione et therapeiâ, doctrinæ Brownianæ vitium et periculum latiùs clariùsque pateant.

XX. Morbi communes, quos semper opportunitas præcedit (Q.), sub duabus tantum formis occurrunt; vel sthenici, vel asthenici, hique vel directè, vel indirectè (T.); atque omnis curatio in stimuli et incitabilitatis æquâ proportione restituendâ (Y, et seq.) consistit.

Opportunitates omnes præcedere morbos falsum censendum esse arbitror; plures enim tam subitò sæviunt ut nulla prædispositionis suspicio acquiri possit; sæpè-sæpiùs contagia

quæ inter noxas communes Brownius recenset, vel firmiorem dejiciunt, undè quòd adversùs etiam inopportunos morbi saltem contagiosi irruant, eoque hæc propositio tanquam generalior rejicienda sit, admittendum.

XXI. Omnis morbos ordinandi methodus vel symptomatum discrepantiâ, vel causarum differentiâ nixa esse debet; qualiscumque verò sit, cum singulâ singulæ ægritudinis therapeiâ congruat opportet. In utrisque plurimùm peccat Browniana divisio, sive speculativè, sive practicè spectetur; multi enim componuntur morbi quorum et causæ et symptomata et curatio valdè diversa conspiciuntur.

XXII. Sed id præcipuè fallit doctrinæ circà quam versamur, quod quamdam simplicitatis speciem præ se ferat, quæ quidem etiamsi primâ fronte inexpertos alliciat, cogitatione brevi quasi fucus evanescit. Quid, quòd multa omiserit, medicinam ad præcepta simpliciora se adduxisse contendet? Atque etiam quod circà causarum assignationem suprà diximus (XIII.), hìc apprimè locum obtinet. Nam si omnia vitæ ad incitabilitatis et incitationis modificationes referri nequeunt, id quoque de morbis pronuntiandum. Morbi autem non solùm in imminutione vel auctu, prostratione, vel exasperatione, verùm etiam in partitione virium inæquali inter varia organa consistunt; præter quòd fluida ipsa, non tantum solida, alteratione quâdam nonnullos morbos foveant.

XXIII. Etenim affectus spasmodici quos ad asthenicos Brownius retulit non tam ex ipso virium defectu, quam ex earum distributione inæquabili pendent, imò etiam pars quævis actutùm spasmo laborans, vehementiori incitamento

afficitur. Spasmus enim nihil nisi contractio solito violentior; verùm contractio vehementissima quin vis vitalis augeatur dari non potest; spasmus igitur tanquam affectio *essentialiter* asthenica non habendus, quamquam aliundè vitalium ipsa virium summa in æconomiâ animali imminuta videretur. In omni spasmo, habitâ totius corporis virium ratione, sive major, sive earum summa minor sit, pars quælibet spasmodica largiori virium copia obruitur. Ex quo videre est quid valeat spasmi in *tonicum* et *atonicum* quorumdam auctorum distinctio. Hæc autem virium aberratio, febrium, ut dicunt, ataxicarum præcipuum exhibet characterem; adde quòd hæc Browniana assertio tam lucidam virium prostrationis et oppressionis medicorum Monspeliensium theoriam excludat. Hùc quoque attinet hydrops, exhalantium et absorbentium concentu ablato præsertìm conspicua.

XXIV. Fluidorum vivi corporis in morbis eorumque fomite efficaciam negare, idem est ac si ea vitæ non participia esse contenderetur. Namque morbus sicut et sanitas ad vitam pertinet et omnia vivunt vivi corporis; quin etiam humorum vitalitas, eorumque in morbis alteratio observatione et experientiâ rectè comprobantur: sanguinis circulationem, ipsius susceptibilitatem galvanicam, in febribus putridis humorum crasim, quæ non quidem verâ putredine ast principiorum coherentiæ defectu innotescit, hìc animadvertisse sufficiat.

XXV. Morbos symptomatibus diversos eâdem in classe necessariò comprehendi omni qui Brownianam divisionem noverit, facilè constabit; quî enim aliter fieri posset, cum tantus sit morborum numerus? Cujusque generis inflammationes et febres exanthematicas, maniam, agrypniam, obesi-

tatem etc. in primâ classe; maciem verò, scabiem, diabetem, rachitim, menstruorum cessationem, retentionem, suppressionem, menorrhæam, hæmorragiam, diarrhæam, dysenteriam, choleram, tabem, phthisim, scorbutum, hysteriam, rhumatalgiam, podagram, asthma, spasmum, varias hydropis species, hypochondriasim, epilepsiam, paralysim, trismum, tetanum, febres intermittentes etc., in secundâ classe confundit: quæ tamen mox ad primam, mox ad alteram classem referri deberent, si quidem nonnullus morbus, *v. g.* hæmorrhagia, et scheniâ et astheniâ deflui possit; præter quòd plures febres intermittentes primarum viarum saburrâ tantùm vigent.

XXVI. Deinceps, ut erat propositum, de morborum therapeiâ dicatur; quâ quidem nihil est in arte medicâ præstantius, sed habet multas cautiones. Videndum est enim primùm ne falsa pro verâ indicatione sumatur, deindè quid valeant medicamenta, tunc quo modo quâve ratione indicationi congruant. Sub hoc triplici respectu browniana peccat therapeia, uti liquidiùs patebit ex sequentibus.

XXVII. Ejusdem morborum classis eadem est indicatio, et in stimulatione vel debilitatione omnis curatio consistit (Y). Febres igitur exanthematicæ eamdem curationem ac mania, scabies ac diabetes, rachitis ac menstruorum cessatio, hæmorrhagia ac hysteria, spasma ac scorbutus, phthisis ac epilepsia, febris intermittens gastrica, ac perniciosa expostularet? Quo quidem nihil absurdius.

XXVIII. Alter erat locus cautionis ne medicameutis omninò fictitia vel saltem usu non comprobata proprietas tribueretur: quâ certè longè abest Brownius dùm de opii

virtute stimulatrice; evacuantium et frigoris debilitatrice (DD. EE) pronuntiat. Equidem sæpè-sæpiùs opium stimulare videtur; ast verò sensilitatem compescit, dolorem sedat, somnum allicit; quo pacto id fiat, quâve ratione tam varient effectus ignoratur; sed quidquid sit, nec observationes nec experimenta suppeditant, undè circà opii agendi modum tantâ cum confidentiâ decidetur. Atque etiam evacuantia nonnisi debilitent, irritant: namque quin stimulent fluxionem in tubo intestinali procreare nequeunt, et eò magis debilitant, quò vehementiùs primùm irritârunt.

XXIX. Quoniam autem frigus nihil sit positivi, nullam in corpus humanum actionem exercere valet; speciosum quidem argumentum, ratione et experientiâ minimè fretum. Caloricum enim corporum particulas à se invicem repellit, calorici negatio, id est frigus, easdem condensat, quâ stipatione quiddam incitamenti suscipi potest; hùc adde quòd viventis corporis reactione ipsum frigus roboret, et aliundè morbos inflammatorios gignere valeat.

XXX. Debilitantia, non quòd verè debilitent, sed quia minus stimulant (FF.) dici falsò asseritur. Quis enim neget aquam, ut cætera mittam, vel aquosos vapores emollire partem cui admoventur? Nonne effectus ille reapsè debilitans? Imò etiam hoc principio necessariè consequeretur, quòd quæcumque substantia in sthenicis adhibita incitamentum jam vigens adaugeret, etiamsi ejus levissima foret actio.

XXXI. Tertium erat propositum, ut quædam inter indicationes et medicamentorum vires convenientia reperiretur, in quo etiam latissimè patet therapeiæ brownianæ vitium, sive indicationum, sive auxiliorum falsâ æstimatione.

Peripneumonia autem, omnium sententiâ, inter sthenicos recensenda judicatur; evacuantia quidem tanquam debilitantia usurpanda sunt, et reipsâ à Brownianis præscribuntur, quo nihil esse periculosius singulorum medicorum experientiâ constat, vel quia motus vitales tunc versùs pectus dirigendos perturbant, vel quòd irritamentum valdè augeant, ex quo præcipuè viget morbus.

XXXII. Præterea ad rectam debilitatem medendam à minimo stimulo incipiendum (AA), etc. et hoc etiam ad febrium intermittentium curationem pertinet. Ast verò in febribus perniciosis periculum in cunctatione præsertim residet; frustrà iterarentur parvæ doses: nam vehementioris vel repentini stimuli validior actio, quàm debilioris vel diutiùs protracti. Accedit eò quòd kinakina nonnisi post aliquot horas effectus manifestos faciat; undè perspicuè intelligere est quid mali mora ferat, et eò certiùs quòd nullum quodvis stimulans expeditius Corticis peruviani partes prosperè suscipere queat.

XXXIII. Atque etiam scorbutus merè asthenica ægritudo, diætâ imprimis vegetabili sanatur; hocque maximè doctrinæ brownianæ adversatur: substantiæ enim vegetabiles præ animalibus debilitant. Quo exemplo, sicut et plurimis aliis, præcipuam indicationem ex incitatione auctâ vel imminutâ semper sumendam non esse evidenter patescit. In diarrhæâ et dysenteriâ victum animalem cautè prohibent Medici, longè aliter ac Brownii sectatores qui hisce morbis laborantes carnibus et vino omnimodè ingurgitant, quasi functiones assimilatrices debilitatis non participes forent. Aliundè juxtà hanc theoriam, omnis ægritudo repentè inhiberetur amotione vel incitationis admotu; quod quotidianæ observationi

valdè contrarium cernitur : quippè morbi assuetas ferè semper obeunt periodos, quæcumque sit eorum curatio.

XXXIV. Ex his duabus duntaxat morborum formis, omnis nosologiæ inutilitas perperàm concluditur (GG.). Circa quam questionem, jam toties disputatam, hærere alienum à scopo jure censendum.

Opportunitas semper requiritur ad morbos communes (Q.); hæc quidem in stheniæ ad astheniam transmutatione (JJ.) vel non existit, vel in statu medio qui sanitas consistit; undè contradictio patens, aut assertio falsa deducitur.

XXXV. Restant duæ tantùm Brownii ultimæ (KK.-LL.) propositiones quæ vi medicatrice naturæ et morborum diagnosi generatìm spectatis continentur. Prima autem quamlibet naturæ vim ad curationes morborum penitùs rejicit; tot jam et tanti viri hanc circa quæstionem olim disceptârunt, tantâque cum felicitate *optimam medicinam interdum esse medicinam non facere* CLINICES PROFESSORES ILLUSTRISSIMI confirmârunt, ut rem quidem delibare non liceat. Altera demùm, ut verò paucis absolvam, omnem morborum diagnosin ad causarum generalium indagationem referre nititur. Quoniam autem notio causarum ferè nunquàm certa, et nonnisi symptomatum æstimatione adipiscatur, ac aliundè omnis morbus symptomatum syndrome tantùm consistat, sub utroque aspectu prænotatæ propositioni meritò non assentior.

XXXVI. Hæc sunt, PATRES CONSCRIPTI, quæ de doctrinâ Brownianâ cursìm adumbrare tentavi, hoc paucorum dierum opus benignè acceptum habere velitis; illudque non scribendi insulsâ cacoethe sed tantum ab officio profectum esse videatur.